

summa est pietas, magnanimitas, liberalitas. *Pietas*, quia tantum spectat Dei gloriam: Si accepisset spolia, poterat dici bello & rapinis ditatus, sic obscurata fuisset Dei benedictio. Protestatur ergo, se non velle ditari spoliis: satis sibi esse diuitiarum ex Dei benedictione. *Magnanimitas*: quia cohibet affectus, ne aliquid præter id, quod ex Dei benedictione habebat appetat, contemnit spolia, contentus opibus à Deo datis, pluris facit Dei benedictionem quam dona regis Sodom; satis est ei, quod Deum habet benefactorem. *Liberalitas* denique; quia omnia donat regi egeno, facultatibus suis exuto. *Docet*, inquit Ambrosius ibidem, *militarem disciplinam, vt regi seruentur omnia*. Hoc rarum virtutis fuit exemplum; præcipue vero docemur; ne diuitiis cū mundo inhiemus; potius æterna bona quæramus. Discamus cum Dei gloriæ interest, non tantum iuri nostro renunciare, sed & nos ipsos abnegare. Similiter Paulum abstinuisse Ecclesiæ sala-

ario notum est, 1. Cor. 8. 2. Cor. 9. ne æmuli quasi ventris ministrum calumniarentur.

24. PRÆTER EA TANTVM. Limitat recusationem, vt videatur occurrere calumniæ: Non appetis filum; Atqui multum iam tui absumserunt de præda. *Respondet*: præter ea, quæ comederunt: Æquum fuit milites ex spoliis viuere & obsonia habere. Occurrit etiam querelæ sociorum, saluo nostro iure tu sis liberalis. *Respondet sane saluo*: B Nolo mea ἀνταρχειῶς lociis præiudicare, aut aliquid præripere: Æquum est, vt pro laboribus & periculis reipublicæ causa exantlantis eis satisfiat. En rursus eximiam viri prudentiam & æquitatem. Conueniunt ad regulam; *Dignus operarius sua mercede*. Item; *Nemo militat propriis stipendiis*: Deinde monent in rebus mediis non esse morose aliis præscribendum, vt nostro viuant exemplo in iis, in quibus nos peculiare aliquando habemus causas, cur sic vel sic recte nobis agendum putemus.

CAPITIS DECIMIQUINTI.

Argumentum, Vfus, Partitio.

Totum caput est propheticum, repetens priora oracula de semine Abrami, deque terra promissa hereditate ad consolandum Abramum, & addens alia noua de seminis seruitute, afflictione, liberatione, ac missione in possessionem terra promissa tandem post longum tempus.

Memorabilis est historia multis de causis Abramum periculis vel orbitate sua perturbatum. Deus promissione protectionis & premiorum ingentium erigit, vt doceamur, Deum in perturbationibus nobis velle adesse, & remedium metus atq; curarum omnium in dei promissionibus ac protectione quarendum esse, sicut dicitur: *Iacta in Dominum curam tuam; & ipse sustentabit te.* Psal. 55. 23. Nominatim fides Abrami celebratur, quodque ea sit iustificatus docetur, quo encomio articulus fidei catholice de iustitia imputata fidei absque operum meritis confirmatur. Habent & studiosi antiquitatum descriptionem vetustissimi ritus feriendi pacta, & sacrificandi ante legem, cui vix simile quid alibi legitur, nisi apud Ieremiam cap. 34. 18. Ex eo ritu promissiones Abramo, hætenus facta acceperunt nomen fæderis Dei cum Abramo, cuius hoc capite prima, deinceps vero in scripturis frequentissima sit mentio.

Partes capitis constituo quatuor.

1. Est repetitio promissionis de semine, eiusq; occasio, & confirmatio, & effectus: vsq; ad v. 7.
2. Confirmatio promissionis de terra danda per symbolum: vsque ad ver. 12.
3. Est nouum oraculum Abramo oblatum in somno, de seminis seruitute & liberatione ante possessionem terra, post annos 400. futuram: vsque ad ver. 17.

4. Est